





FOETUS EXILII QUARTUS

Continens

HEXASTICHA DO-  
MINICALIA,

Cum quibusdam Miscellaneis;  
VIRIS AMPLISSIMIS

*Doctrinā, virtute, fide, plurimarumq; rerum usu, atq;  
experienciā spectatiss: Dn. Dn.*

GEORGIO FRIDERICO  
SCHWARZENBERGERO.  
MARTINO MILAGIO.

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC  
DOMINI,

Dn. CHRISTIANI Senioris, PRIN-  
CIPIS ANHALDINI, COM: ASCAN:  
DN. BERNB. ET SERV.

ILLI quidem, SECRETARIO.  
HUIC, DIOCESEOS BERNB. PRÆFECTO. } Fideliss.

DICATUS

Ab ANDREA ROERELIO, olim Pöllingensis in  
PALATINATU Ministro, nunc Nobiliss: ERLACHIA-  
NÆ JUVENTUTIS Ephoro, Exule, P. C.

*Cothenis Anhaltinorum. M. DC. XXVIII.*

Ad doctrinā, virtute plurimoq; rerum usu præstantissimos  
Dn. GEORGIUM FRID: SCHWARZENBER-  
GERUM.  
Dn. MARTINUM MILAGIUM.

προσφένημα.

Tot mihi si numeres rutilantis pondera massæ,  
LTDORUM CROESO quanta fuisse ferunt;  
Ingentes oculis conferrem cautus acervos  
Pascendis, animo suavia fercla meo,  
More peragrando regionum climata ULTSSIS,  
Quod jubat irradiat Solis utraq; P O L O.  
Nam populos, Urbes, variorum discere mores,  
In melius vitæ dirigit acta rudis.  
At queror in vanum fusi sine pondere verbis;  
Velle subest cordi, posse retardat opus.  
Assandis tamen intentus pomisvè pyrisvè  
Non latui ad patrios, mænia chara, focos;  
Sed quantum indulxit sors paupertina, videndis  
Urbibus impendi quas modò T E U T O colit.  
Non sanè in morem transēuntis fortè molossi  
(Balnea, non-nullis moris ut esse liquet;  
Sed composta tenet èzásixæ qualibet, urbis  
Ne premerem visæ fex sine fruge solum.  
Multiplicata typis ea gestit honesta lubido  
CANDIDA nominibus BIGA dicare tuis.  
Quod quia munuscipium devotio mentis adornat,  
Esto tibi gratum, sit levidense licet.  
Orbita fortuna dum me rotat invida, jure  
Fautores licitis venor, honoro, modis.  
Quos inter vobis hoc defero carmine primas:  
Elevet extorrem IOVA, secundus ero.

DOMIN:



**D**OMIN: I. Adventus. Matth. 21. Feci REGINOPOLI.

**P**Harmacon ægrotis REX hic, Thesaurus egenis,  
Anchora jactatis, Antidotumq; neci est;  
Secreti interpres. Intactus sidere fastus,  
Sceptra micant Verbo; plebs pia, civis ovat.  
Sunto Scholæ cordi, Templi reverentia gliscat,  
Spinosum generet ne sata palma rubum.

**D**OMINIC: II. Adv. Luc. 21. F. AMBERGÆ, Palat.  
**C**erta dies, incerta nimis volat hora supremi  
Judicij; hinc vigilum sit tibi cura precum,  
Impius exiguum poenæ hic tolerare gravatur,  
Plagarum moles sub styge quanta fremet!  
Discute, spei baculo, mœrores, dedite CHRISTOS;  
Æterni ut VERIS cantat Alauda melos!

**D**OMINIC: III. Adv. Matth. 11. F. ELBANGÆ.  
**V**era parit capitale odium confessio; præcox  
Noxia judicium semina litis alit.  
Es nōganas fatui prætextūs scandala; CHRISTUM  
Aspectus Servum judicat, acta DEUM.  
Ne peregrina fides; propriæ fiducia salvat;  
Tantaleis, dubitat quisquis, inerrat, aquis.

**D**OMIN: IV. Adv. Joh. 1. F. ANSPACHII.  
**P**romeret orcinam vetiti ardor honoris abyssum,  
Expulsus veri trans mare plangit amor.  
Quem ferit ambitio, trepidâq; professio mente,  
Præscripto PRODROMI tela repelle modo.  
Fœtores animæ crucifixi proliuit agni  
Sanguis, at extremam fusilis unda cutim.

DÓMINIC: *Lætare: Joh. 6. F. NORIBERGÆ.*

C<sup>on</sup>tupla fonte bóni stagnans benedictio victus,

Postulat instantes ( sobria vota ) preces.

At nunc raro preces cordi, jejunia raro!

Dum fera tartareus pectora luxus agit.

Ergo dum languet pietatis pristinus ardor,

Auguror hinc animæ non procul esse famem.

DOM: *Vocem Jucund: Joh. 16. F. EGRÆ Bohem:*

INgenij vulgo monūmenta stupenda; profundæ,

Si quicquam, res est ingeniosa preces:

Procedunt cessim miti Rhamnusidis astro;

Cum tonat, è buccis quod volat, aura trahit.

Flaminis ergo fides septena Porismata sancti

Consule; fata dabunt, quod pia vota petunt.

DOM: *Exaudi Joh. 15. & 16. F. In THERMIS CAROL.*

PLus hominem terret nec opinæ tûrbo procellæ;

Prædicti quoniam mítior aura malis.

Post varios casus ( rumpantur ut ilia DITI )

Martyrio niveis salvus ovabit equis.

Sanguine peccati quæ parta remissio CHRISTI est,

Signati & nostro sanguine nempe par est.

FESTO PENTECOSTES. Joh. 14. F. PILSÆ: Boh:

H<sup>A</sup>ud despondendæ tristi formidine vires,

Bis-geniti defit sicubi forma DUCIS.

Luce novâ, subigensq; pio præcordia tractu

Præstat adoptivis SPIRITUS-ARRHA vices.

Hospes amori-fluo prægnantia viscera motu

Intrat & Eloquiis tecta sacrata sacris.

Aliter F. JENÆ.

M<sup>I</sup>ssio promissum redimit, solamen in arëtis,

Et Doctor veri, Flamen ab axe venit.

Post-

Postpositis, animæ latebras quia diligit, aulis;  
Imperium CHRISTO spirituale parat.  
Exulat hōc census, metus, arma, tyrannis, egestas:  
Uncti supplicius nomine, tutus ovat.

*FERIA. II. Pentecost: Joh.3. F. NAUMBURGI.*  
**E**xitij (naturâ) hominum genus innatæ undis;  
Numinis auxilium contulit almus amor.  
Profuso GNATI nitatur sanguine, quisquis  
Æternæ in Cœlis præmia sedis avet.  
Lucifugæ in tenebris scelerum meditantur abyssos,  
Largitus pietas lueis amica POLUM.

*IDEM verbis al: F. LIPSIÆ.*  
**L**ethiferis hominum totus grex mergitur undis,  
Eripit hōc barathro Gratia sola Dei.  
In rosco unius requiescat sanguine CHRISTI,  
Sidereæ quisquis sedis amore flagrat.  
Facta tenebrarum marcent, quia conscia pravi:  
Lucis opus mentes arguit esse pias.

*FERIA TRINITATIS; Joh.3. F. IG LAVIAE, Moræ vorum.*  
**I**mpia salvificam contra dictamina mentis  
Colluvies Cynico lancinat ore fidem:  
Immò Deûm (furiale genus!) magnalia tricis  
Æquiparat superâ nî radiata face.

Sollicitus vitæ, renoveris corde, futuræ:  
Haud agit in putri vivida carne salus.

*DOMIN: I. TRIN: Luc 16. F. ZNÆMÆ, Mor:*  
**N**Emimù regale ferens Diadema superbi;  
Sors quia funestas replicat atra minas.  
Pauperie pressos fannis quæ lingua molestat,  
Æternum Stygijs ignibus usta gemet,

Usus opum laudem, foyet ingens crimen abusus:  
Ornat ut hic vitam, sic trahit ista necem.

DOM: II. TRIN: *Luc. 14. F. VIENNÆ.*

**Q**uem benefactoris penes exornanda senescit  
Gratia, Virtuti vim sine jure parat,  
Spe sine decumbit reddituræ peste salutis,  
Porrectam quisquis spernit egenus opem,  
Præstat in oblatam cumulare Encomia Cœnam;  
Gratia mortiferam causat adempta famem.

DOM. III. TRIN: *De ove perd: Luc. 15. F. LINZII: Austr:*

**U**t cum desertis vaga currit ovicula sylvis,  
Non potis est notum repperiisse gregem.  
Ductilis errorum funesto ita turba capistro,  
Ceu sævis rapimur per vada cæca notis.  
Obsequio placidos polico commendat ovili  
Ulpilio; duros improbitate stygi.

DOM: IV. TRIN: *E hot: Mis: Luc. 6. F. SALISBURGI.*

**D**ivinæ cumulat meritas imitatio laudes  
Virtutis, Cygno sed mage rara nigro.  
Quisquis ad alterius lynx est peccatula, more  
Cæcutit talpæ crimine sæpè suo.

Dum struis incauto dubij gradualia lapsus,

Agreditur fraudis præcipitatus idem.

DOM: V. TR. Ora & labora: *Luc. 5. F. MONACHII ad Alp.*

**T**rade manus operi, DIVAM conjunge labori;  
Juncta salutiferam DIVA locabit opem.  
Parturit exiguos olei consumptio sumptus,  
Prosperitate nisi Numen adauertet opus.  
Sit curæ probitas, curæ mens conscientia recti,  
Cætera Spiritui da peragenda sacro.

DOM:



*DOM. VI. De Justit: Pharis: Matth. 5. F. AUGUSTÆ Vindel:*

**A**cta tribunali coram placitura supremo,  
Esse decet nullis commaculata notis.  
Abstineat ferro quamvis vel dextera furto,  
Arguit illicij prava cupido reum.

At benè! Defectum supplet perfectio CHRISTI:  
Quā pius è sola justificatur homo.

*DOM: VIII. TRIN. De Pseud: Proph: Matth. 7. F. ULMÆ.*

**P**Lus hostis ferit arcanus, minus angit apertus,  
Hic qua vitari, sed minus iste potis.  
In labris titubans pietas exosa, JEHOVÆ  
Vita voluntati confona, digna Polo est.

§

Actio nī verbis concordes, displicet ipsa:

Salvificæ fidei confona facta placent.

*DOM. VIIII. TR. De Injust: Oecon: Luc. 16. F. TUBINGÆ.*

**S**uscipe fiderei nutu collata Monarchæ  
Munia, furtivis absq; gerenda dolis.  
Uritur, innexæ convictus criminè fraudis,  
Æternūm stygio, cassus honore, rogo.

Dextera, Mammonæ quæ nervis nutrit egenos,  
Afflua perpetuis nescit egere bonis

*DOM. X. TR. Jesu laer: Luc. 19. F. STUTGARDII.*

**A**lterius aucti sortis discrimine, constat  
Sinceri veram pectoris esse notam.

Nunc, segete scelerum cursus quia languet honesti,  
Ad fera degenerat nobilis arma fides.

Scilicet aula pium Paracleti splendida pectus  
Damnoſo non est ære locanda lucro.

*DOM. XI. TR. De Publican: Luc. 18. F. PFORTZEIMII.*

**I**nfectos nævis cœli patet esse Dynastas,  
Caligat Jovæ PHOSPHORUS intuitu:

Lab-



Labibus (in proprium blandiri sedula damnum)

Exemptam cur se jactet inanè-caro?

Nota beatorum Plutone superbia sedes

Obstruit, ast humilis mens penetrare solet.

DOM. XII. TR. De Mogilalo: Marc. 7. F. TABERNÆ Alsat:

A d pangenda DEO pisces Encomia muti,

Auribus heu surdis ad pia iussa sumus!

Hanc scelerum scabiem veteris contagia Adami,

Egit in optatam Diva medela fugam,

De quo ne bessem Poeane capessit Apollo.

Propritim MEDICI quem meret ALPH A FORI.

DOM. XIII. TR. De Samar: Luc. 10. F. HAGENOÆ.

O rcica terricolas infestat Hycna cohortes,

Letiferoq; Deum territat enfe genus:

Nec versuta pavet cerebri commenta; sed horret

Sanguisfluæ (pejus dipsade) fistra trabis.

Lumina quisquis in hanc, quisquis defixerit aures,

Præda Gehennali non erit ille lupo,

DOM. XIV. TR. De Leprosis. Luc. 17. F. SEBUSII.

P recipua est morbi patefactio causa salutis,

Proxima Apollineæ sedula cura dosis,

Sordida sentiscit mens ulcera peccatorum,

Quēis parat emplastrum Pharmacothéca POLL.

Debita sed postquam Meditrinæ gratia languet,

Vergit in æternam sumpta medela necem.

DOM. XV. TR. Nemo duobus: Matth. 6. F. SPIRAE.

Q uid? Generis quem cura coquit tam calda ferini,

Juscula filiolis deneget ipse suis?

Parce, simul vietus fodicat diffidere; faustum

Sortitur finem raro sititor opum,

Furibus

Furibus ac tineis cumulas æs: Chrimata cœlo

Dispice quæ resident, terrea CROESUS eris.

DOM. XVI. TR. De Vidua in Nah. Luc. 7. F. HEIDELBERGÆ.

**F**it via vi Verbi vitæ, reparatio cuius

Peccati osores postulat hîc animos.

Ut brumale gelu Veris dulcedo levare,

Tormina sic leti spes solet aucta DEO.

Cautè age. Nam lubrica est salebrosæ semita vitæ.

Æternus sequitur fata scelestæ dolor.

IDE M aliter: F. SERVESTÆ.

**D**um jugulat mœrs atra pios, ( sit gratia dicto )

Inducor mutos fingere sæpè DEOS.

At malè-dispositæ percant phantasmata carnis!

Numen adesse levis passer, & herba probat.

Dulce mori est sanctis; aliud quia Regula seclum

Astruit exemplo hoc, cur timeam ergò mori?

DOM. XVII. TR. De Hydrop: Luc. 14. F. FRANCOFORTI ad Mæn:

**O**bsita damnosis fallax quia concio technis;

Provida commissum cura gubernet opus.

Turpe, salutiferâ ægrotos privare medelâ,

Quam præstare feris Sabbathâ sancta jubent.

Extolli satagis? tumidos deponito fastus:

Mergitur immenso turgida cymba salo.

DOM: XVIII. De Max: Precept: Matth. 22. F. HANOVIAE.

**I**nq; Deum, inq; homines bifidæ completio Legis

Est amor, ast hominum, quis, rogo, præstat cum?

Tota penes genium residet corruptio nostrum,

Quæ rubet errorum, fex odiosa, seges!

Fallere Primores satagunt, falluntur at ipsi:

Sic terit hostiles Diva SOPHIA dolos!

B

DOM:

*DOM. XIX. TR. De Paralyt: Matth. 9. F. ASCHENBURGII.*

**P**risca valetudo peccati labe revulsâ,  
Vi redit in fragiles cunctimedente fibras.  
Plebs ovat applausu Medico; sed murinure Scriba  
Oggannit, duci visus honore D E I.  
Nugatur. Quæ sæpè viris abscondita vafris,  
Plana pijs animis, simplicibusq; patent.

*DOM. XX. TR. De Veste Nupt: Matth. 22. F. DURLACHII.*

**U**nio cum C H R I S T O est speratæ cardo salutis.  
Quâ negat exclusis cælica tæda chorum.  
Syndone qui fidei conviva triumphat amictus,  
Transit inoffenso Tartara mœsta pede.  
Gratuitum decus est, gratus venerare datorem;  
Utq; tibi decus hoc augeat usq; roga.

*DOM. XXI. TR. De Regio. Job. 4. F. HERBIPOLLI.*

**Q**uum luifer celsas Regum quatit ÆOLUS arces,  
Itur in ardentes, cætera raro, preces.  
Pristinus at (ductu fidei) vigor occupat artus,  
MESSIAE promptâ mox reparatus ope.  
Aureus ô Divum nimbus! Quo lota triumphat  
Natio Christiadum: cætera præda stygis.

*DOM. XXII. TR. De Servo infid: Matth. 18. F. KITZINGÆ.*

**D**elinquis quoties scuticæ cùm verbere JOVA  
Intonet, ut subitò putrida massa fores!  
Cedito Dijs vindicta, meret patientia laurum;  
Clarat & abjectas pacis oliva casas.  
Vita vitro similis, Pyliam, cave nutriat iram:  
Pectus, adit quod ēḡis, mutuus odit ēḡos.

*DOM.*



*DOM. XXIII. TR. De Censu. Matth. 22. F. BAMBERGÆ.*

**O**bfuscando furit radios quicunq; SOPHIAE,  
Rimosis fluidas retibus arctat aquas.  
Viscera pelluent. Quot alebat quæstio monstrum,  
Corporat incussus Cæsar is ære pudor.  
Lex Diadema locat Regi civile, sed unum  
Proyida Relligio curet ametq; Deum.

*DOM. XXIV. TR. De Hemorr. Matth. 9. F. COBURGI.*

**C**onscia mens justi Primas; cutis inde secundas  
Sana tenet; pax! Hoc CHRISTUS utrumq; probat.  
Cor gemat, ut linguam pudeat delicta fateri;  
Legis amaritatem miscet amore DEUS.  
Quin raro in Medico est, morbo relevetur ut æger,  
Fortis Apollineâ plus valet arte fides.

*DOM. XXV. TR. Matth. 24. F. SALAFELDIAE.*

**V**Aticinam exitij solati mitigat odas  
Aspera prævisi verbena raro flagri.  
Seduci caro prona: Deo constantia natis  
Propria, vi cuius durat & usq; viget.  
Nulla salus mundo: crucifixum ô pura cadaver  
Pectora suffitu nobiliore beet!

**FINIS DOMINICALIUM.**

---

**CLARISSIMO VIRO**  
**Dn. JOHANNI THOMÆ OBRECHTO,**  
**Sacri Palatij Lateran: COMITI, &c.**

**C**ura caducarum rerum ceu turgida bullæ,  
Æquoreis pessum fluctibus acta ruit.

B ij

Gloria



Gloria radices nec agit, nec fama profundas,  
Marcescit modò cùm visa vigere fuit.  
Quin ubi flammiferis te laudibüs efferat astris  
Vulgus iners, solidum nec capis, umbra decus.  
Non-nemo & Gnatos (posito) amplectatur amore;  
Quis tibi defuncto nūncia lāta feret?  
Dispereat tumidos quisquis mercatur honores!  
Ambitio rabidus ceu fugiatur aper.  
Verùm proveniunt rebus modò dicta caducis,  
Plus quibus impuri quam bonitatis inest.  
Fixa sed in terfas, nitidissima melcula, M U S A S;  
Concava dum Lunæ fabrica, cura nitet.  
Florescunt inter cineres, res cognita docti,  
Vulgatos propter, pignora cara, libros:  
Propter & eximiæ calidum virtutis amorem,  
Gestaq; vitæ complacitura Dijs.  
Quis verò, furijs licet exagitatus acerbis,  
Promerito claros privet honore viros?  
Qui de Virtutis (casus ea nescia) cornu,  
PALLADIS & placido manat amore D E A E?  
Mechanici pugnis agitant, sed mente, periti:  
Pugnus ivit cineres, mens Deitate cluet.  
Famam non-nulli scelerata patrando patrârunt;  
Qui preventur eâ dedita turba D E O?  
Præcluis ingenti subsistit adorea censu  
CÆSAR IS, ignavis non tribuenda viris.  
Præcipiti siquidem Respublica proxima lapsu,  
Negligit Aonias quæ male-sana D E A S.  
Debita sudorum quæcunq; salario doctis  
Erogat, æternâ prosperitate viget.

Percipis

Percipis at tacitus, tacito quid peccore volvam,  
Plus quam devotâ Vir venerande fide,  
Arrident varijs diversa; Poëmata cordi  
Sunt mihi, sincero corde poësin amo,  
Illiis in campum quandoq; pericula captans  
Excurro, specimen cuius inerme legis,  
Plurima privatis latitant mihi condita cellis;  
Est ubi, depromam plura, necesse, lubens.  
**Quocirca, indultu Comitatus jura RODOLPHI,**  
Jura PALATINI collis & ampla ferens,  
Respice te properis adeat ut Epistola velis,  
*Oratum capiti LAUREA SERTA meo.*  
Annue, si mereor; tristem spirare repulsam  
Nec patere: at rudibus nolo BRABEIA comis,  
Speratu dubium, haud licitum mihi desperare:  
Aera non quævis, si proba vota; petunt.  
Desperata duplè, (tardis venientia velis)  
Plura voluptatis dant alimenta. Vale.

---

IN CORONATIONIS ACTU ad eundem,  
LAURI ore prolata, petitio.

**H**Onesta FAUTOR prosequor inclute,  
Signanda nigro commate despicor:  
Nempè id virorum candidorum,  
Haud stolidi gregis ac maligni est.

Proinde, si non legibus absolumi,  
Nostiq; tutò gratificarier;

Dignum coronâ judicatum  
Ne feriat, prohibe, repulsa,

Polita nullus flagito pocula,  
Argenteas non postulo laminas;  
Lauri rogo supplex coronam  
Cæsarei Comitem Palatî.

Specimen profectuum in poëtica, à Comit: Palat: ibidem auctorū recitari jussum.

CONSULTUM quoniam, VIR CONSULTISSIME, nobis,  
Affari melicâ præsentem voce Coronam,  
Pareo submissus celeri brevitate jubentis,  
Ad mea divinæ flexurus verba POESIS  
Causas, materiem, fœcundos deniq; fructus.  
FOEDERIS antiqui numerosa volumina volvens,  
Colligo LEGIFERUM VATEM, celsoq; PROPHETAS  
Pneumate, PSALMOGRAPHUM REGEM, vatemq; sacratum;  
(Enthea lecturis quorum monumenta patescunt.)  
FLAMINIS afflatu cecinisse poëmata SACRI.  
Quin PLATO Palladiæ statuit cynosura Sophiæ,  
Carmina quod sacro mens cantitet acta furore.  
Consentit pariter violenti FICTOR AMORIS,  
Spiritus æthereâ quod sede Poëticus ortum  
Excipiat: Rerum Numen quia causa bonarum.  
Pigritiæ tamen intereâ, cave, testa sub intres,  
Dulcia qui cupidè modulari carmina tentas,  
Sed superûm calido flectas conamine flatum,

Linquit

Linquit enim divina pigros clementia inanes.  
QUOD si naturam lubet explorare Poësis;  
Actibus ars hominum referendis apta vocatur,  
Declarans justam vivendi carmine normam,  
Occupat ingenij primas sollertis ocellus  
Judicium; rerum tenet ingeniosa secundas  
Fictio: cæcutit, survis erratq; tenebris  
Isthæc indoctus, quamvis meletemata cudat:  
Lectores remorantur enim, complentq; stupore,  
HINC pater HIPPONIS Libyca Karthagine natus  
DIDONIS nequijt lacrymis effecta retentis  
Volvere, quantumvis certus commenta referri.  
BERSABÆ DAVID vetito deceptus amore  
Crimen adulterij Solymæ patrat in aula,  
Conjugium violat, fundum subvertit aliis,  
URIAM grave Martis opus, clypeosq; crepantem,  
(Admissum populo facinus ne fortè revelet)  
Occidi positum mandat statione priori.  
Taxandi verò gravibus quia plena periclis  
Libertas, privâ manifestat in arce patratum  
Dedecus, apricis recitans figmenta platéis,  
Fulmina divini narratq; futura furoris,  
Actus cœlesti vates spiramine NATHAN.  
Ecce duo, REX, tecta viri tenuere propinquæ,  
Hic, infit, prædives opumq; oviumq; boumq;,  
Unius alter ovis delectamenta capeffens,  
Emptam quam tenui potu curabat & esu,  
Quam ceu filiolam gremio gestabat & ulnis,  
Divitis ut multus conviva cucurrit ad ædes,  
Mactat ovem, & dulci solamine privat egenum,

JESSI-



JESSIADES sed ad hæc, furiali percitus irâ  
Irrogat æternam furi pro criminè noctem,  
Compensare priùs quadruplo sublata coactos;  
Quâ se voce reum damnaverat inscius ipsum.  
Tantas exeruit subtilis fictio vires!

FABULA præstiterit quantum quam finxit Agrippa,  
Cujus servavit lapsam facundia ROMAM.

LIVIUS Historici testatur gloria seclii.  
Turba rebellis enim postquam primatibus Urbis  
Jusserat inferri violatis legibus arma,  
Servitij impatiens, proprij cupidissima juris,  
Rostra adiens, plebis sic fando molliit iram.

IN ventrem fatuo quondam stimulata furore  
Impeteq; effræno simul omnia membra ruebant,  
Dux aciei caput, hæc linguam recitare jubebat:  
Adjumenta tibi ferimus lapitura quadrigis,  
Fercula consumis nostro quæsita labore,  
Segnis, iners, ignavus, edax, lurco, helluo, gurges;  
Excusisse jugum præstar, dominabimur ipsa:  
Brachia contactum, digitæ palpare recusant,  
Lingua negat, gustum, tenebris famulantur ocelli,  
Pes negat obsequium, detrectant mandere dentes,  
Olfactum nares cohibent, mensamq; palatum;  
Quid fit? propositi dum membra tenacia; quæq;  
In putridum vergunt, neglecto ventre, cadaver,  
Cujus farcitis viguissent salva lacunis;  
Sic nisi turbatæ revocatis fœdera pacis,  
Deforescetis pariter, pariterq; ruetis.  
Nec plus; exemplò furibundus, lite sepultâ,  
Disruptas reficit populus cum fœdere leges,

Ecce

Ecce quot ac quantis obstant figmenta periclis!  
IN SUPER ex variæ condita placenta medullis  
Artis, & illustri nitidissima flore corolla,  
Flexanima, est de quâ mihi sermo, poëtica, fertur.  
Multiplices vitæ casus declarat, honestos  
Laudibus extollens, inhonestos crimine damnans:  
Ostendens vitanda, dehinc captanda figurans,  
MULTIVOLI Rhetor populi sermone polito  
Pectora demulçet, cincinnis undiq; mixtis:  
Haud magis arctatos tenet alma Poëtica campos;  
Æmula concumulat rebus figmenta, vagatur  
Libera, cancellis non indupedita; decoris  
Progreditur numeris, verbisq; licentia major.  
Hanc penes est quoniam sapientia, commoda pleno  
Hinc documenta SOPHI consuecunt promere cornu.  
GRÆCIA testatrix Musarum Patria: & hujus  
Tres edens libros STAGIRÆUS in artis amorem,  
QUOS gignat tandem generosa Poëtica fructus,  
Eloquitur docto Venusinus HORATIUS ore,  
Et prodesse potest & delectare Poësis,  
Aut simul & jucunda & idonea dicere vitæ.  
Expedit ingenij pulsâ ferrugine dotes,  
Judicij duplicat nervos, animumq; fugatis  
Collustrat fumis, extrorsum viscera vellit,  
Numina, saxa, feras, homines, & flumina flectit,  
Ingenium studio lassum, delassat eodem:  
Dulcius Ambrosio decurrit nectare Vatum  
Sermo, placet, lectus mulçet, repetitus amorem  
Incudit ejusdem gemmis plus lectio prodest:  
Conditus blando capit incrementa lepore.

C

Nam

Nam dum procedunt numerorum vin*cta* catenis  
Carmina, perpetu*o* varianda vocabla; Poësis  
Interea ignarus vix septem verba profatus,  
Non sine subturpi regerit prædicta pudore,  
Ulla nec agricolæ tam stirps diuturna virebit,  
Suaviter ac suavis modulamina lusa Thaleiæ.  
ORDINE præsenti rerum (proh!) turba superbit  
Maxima, doctrinæ se concendisse putantes  
Culmina, deproperant submissâ voce legentes,  
Virgula subveriti trepidant censoria taxet  
Turpia ne forsitan limis errata severis.  
Unde metus? doctæ contemptu nascitur, artis,  
Cui vigilant curæ Regum de stirpe satorum,  
Quorum delicijs fructi (gens sacra) POETÆ.  
SUB juga fœdifragi soboles animosa PHILIPPI  
THEBANAS redigens, armis crepitantibus, arces,  
Præsttit illæsas salvis habitantibus ædes  
PINDARICAS, propter dulcissima flumina venæ:  
Cætera probra, crucem, flagrum, pars funera passi:  
Pars ab inhumanis emporibus ære coëmpti:  
Rumpite, tundite, sternite, fundite, debellate,  
PERSICA pugnando quisquis labefecerit armas,  
REX ait; altiloqui sed linquite sarta Poëtæ  
Culmina, ne percant ferro prohibete vel igni.  
DILEXIT tanquam VENEREM Pitaneus HOMERUM.  
ARCESILAUS, toti quia conducentia mundo,  
Dexteritate gravi concinnans scripta reliquit;  
Insuetus dormire, prius-quam more notasset  
Paucula dehinc solito languentis pharmaca somni.  
ATTICA TYRTÆUM delegit curia vatem,

MESSE-



MESSENIOS duro qui dux compesceret hostes  
Horrida SPARTANÆ telluris fulmina bello:  
Missio successus quæ dum sortita secundos,  
Finito SPARTÆ retulit certamine JURA:  
Carmine nempè novas depresso pectore vires  
Suffecit, carmen pugnanti corda cohorti  
Restituit, quô MESSENIOS animata peremit;  
Carmine magnanimus victor, non extitit armis.  
OBJICIS ORBILIOS? Lacerant qui scommate Versus,  
Fulmine qui quatunt placidi domicilia PHOEBI,  
Futile bacchantes, non esse poëma lucrando  
Conveniens pani, nec nendis vestibus aptum,  
Risibus explodunt studium, pessundare Vates  
Turpiter immeritos, spreto discrimine, suescunt?  
Noxia nec tantum jactat ludibria vulgus,  
Sed quoq; PIERIDU M sacris vigilare putati.  
Mollia quæ quoniam sunt fulcimenta labascunt.  
Non quæ concludunt saxum vice cordis habentes,  
Pro cerebro fungum, vocites oracula PHOEBI,  
Priscorum potius vestigia ritè secuti  
Plana Poëtarum tribubus fastigia celsi  
Ponamus decoris, celebres prope fixa colosso.  
Immò ubi conjiciunt eadem sentire PLATONEM  
Multiplici divos ferientem criminе Vates,  
Nugas diwendunt. Isthanc eliminat artem,  
Quæ tragico attonitas, percellit turbine mentes:  
Divorum verò cultui quæ dedita, mores  
Describit Patriæ, pravos emendat, honestos  
Suspicit, Heröas gestorum nomine claros,  
Extollit, vires animi virtutis amore

Inflamat; templis cœlorum laudibus infert;  
Usum commendat, nocuum condemnat abusum.  
**PANGER E** non nullos foedissima carmina Vatum  
Spurcitie, vitijs, nauici, plenissima nūgis,  
Quæ tenere mala sunt irritamenta juventæ,  
Objicis? At nævos hominum, non carpseris artem,  
Num sacro-sancta nigro scriptura notanda lapillo,  
Hæreticæ quia colluvies meditantur abusum?  
Stirpitus evelli vites patiēre, (LYCULRGUS  
Traditur Historicis sicut sanxisse) falerni  
Copia fævorum quia suggerit ausa malorum?  
Haud patiēre. Eadem profert responsa Poësis:  
Usum percipies, vanum si tollis abusum.  
**HINC** apis indè velut fragrantia prata pererrans,  
E spinis dulces succos constipat amaris,  
Floribus & condit suavissima mella nocivis;  
Sic quoq; turpiculis efficta poëmata rebus,  
Obscœnis pariter decurrens fabula verbis,  
Eximios parvunt, caute modò cognita; fructus.  
Gannitus ideò nulli remoremur inane,  
Sancti magis Vatum sancto pro jure geramus  
Adversus gemmis indignam bella phalangem.  
Odit nonnunquam quam quis non percipit artem,  
Et quasi spumanti timidus canis oblatrat apro.  
**T U M** quia venandi brevior per carmina famam  
Est modus, ad castas operemur **APOLLINIS** aras,  
Carmina pangendo, bene-olentia thura litando.  
Obscuram quia Religio est turgescere Musam.  
Nomen enim satagens turbæ per vela novenæ  
Expandi, quavis prolixam luce capessit

Mate-



Materiam, curis, pingui, dignamq; lucernâ,  
Quâ sibi demereat procerum vulgiq; favorem.  
Est secum contenta quidem, non indiga virtus,  
Quam præter meritum confert RHAMNUSIA, Lauri:  
Attamen ut studij concedit præmia, calcar.  
Si secus, insomnis quis tot traducere noctes,  
Ancipiti rerum quis tot discrimina casu  
Perferre, aut tantis caput immiscere periclis  
Sustineat? Verùm quoniam fastidia gignunt  
Ambages, superest medium res occupet ipsa,  
Comprobet ac proprijs audita BRABEUTA lapillis.

## FINITO ACTU mea GRATIARUM ACTIO.

S Emita virtutum, ac vitæ cynosura beatæ,  
Adstata Terrigenis sidera pandit iter.  
Quas, tamen occurunt, sine crimine Religionis  
Mittas; nec dignæ, quas fera plaga premat.  
Ingratæ sed qui designat crimina mentis,  
Exponi meruit piscibus esca sali.  
Dixeris ingratum, vitiorum nomina verbo  
Dixeris, ingratus crimen quoq; scater.  
Barbaricæ assentit discors concordia gentis,  
Quin edicta tenent hæc veneranda SCYTHÆ.  
Sæva præit feritas nobis exempla, virensq;  
Qui data millicuplo reddere suecit ager.  
Hostes SOCRATICÆ pudeat probitatis ATHENAS,  
Tradere letiferum pro pietate Scyphum.

Quam pietatis amans rostrata ciconia? patres  
Subvehit, ac mortem promit adusq; dapes.  
Gratia suscepis quod si nequit æqua rependi,  
Quantam concedit sors fluibunda, refer.  
**GLORIA** quapropter rerum prima esto satori,  
Quo viget ingenij vis aliquanta mei.  
Fons opis, unda boni, clementiæ origo perennis,  
Vena fluens modicè da magis aucta fluat!  
Sancta relegatis contexam metra profanis,  
Dispulerit tristes sors ubi cæca notos.  
Exin **MATTHIÆ** Divi, cum fratre **RODOLPHI**,  
Et tritavum bonitas commemoranda venit:  
Præmia Phæbigenis fuerunt quia tradere, scriptis  
Qui regni callent perpetuare decus,  
Quæ mihi, dum spirem, sit munificentia cordi:  
JURATO adversâ nec datur ire viâ.  
Promeritas exinde tibi, **COMES INCLITE**, laudes,  
Pro mihi collato munere, pectus agit.  
Germinat innumeros victrix ceu **LAUREA** soles,  
Fragabit gratæ tot quoq; mentis odor,  
Cassa licet pereant nativo membra calore,  
Cantabunt laudes carmina nostra tuas.  
Numina tabifici dispellant semina morbi,  
Conturbent animum tristia nulla tuum.  
Rusticus ad Regem pauperulus **ARTAXERXEM**,  
Vidit ubi varijs dona coisse locis;  
Nos quoq; demus, ait; gelidasq; ad fluminis undas  
Currit, & exigui muneris haurit aquas,  
Fertq; placetq; ferens. Quin tu quoq; consule **FAUTOR**  
Votula devoto corde profecta boni.

POST-

**POSTMODO** submissâ reverendis' mente **PATRONIS,**  
Publica res quorum vel **SCHOLA** floret ope;  
Ac reliquis; viridi quorum præsentia fert  
Comparat indubiam testificando fidem:  
Ingenuas solvo submisso pectorē grates,  
Artibus ac animæ mitia fata precor.  
**Consona** facturus simul ac vocat hora, voluntas  
Vestra citat; nequeam? Sit voluisse satis.  
**DENIQUE** CHRISTE hominum Servator & alme Sequester,  
Supplicis ô placidâ fronte capesse preces.  
Intima tu penitæ scrutaris scrinia mentis,  
Scis quoq; quo hæc veniant pectorē vota mihi,  
Pectorē non falso, non lingua fraudibus aptâ:  
Concepit hos gemitus intima fibra tibi.  
Salvifico foveas Præcōnes dogmate, Templa  
Adversus rabidos contueare lupos.  
Pestiferæ reseca cultores Hæresis, Orco  
Noxia spargentes Schismata, pleste viros.  
Educet illustris sanctos **ACADEMIA** cœtus,  
Illiū & toto splendeat orbe jubar.  
Justitiæ vigeat reverentia, pœna nocentes  
Comprimat, at maneat debita dona piōs,  
Viribus hostiles incursus pelle supernis,  
Civica ne subeat perfida tela cohors.  
Adversus Proceres si conspiratio gliscit,  
Detege, compositâ da quoq; pace frui.  
Cælica conjugio præsit benedictio vinetis,  
Terreat haud nostros pestis acerba Iares.  
**ALSATICAS** annona plagas largissima mactet,  
Copia proveniat frugis & ampla meri.

Polli-



Pollicitus tandem moerorum valle sepultos  
Suscite; & æthereæ da mihi serta Scholæ.  
*Sancta Monas* gemitus attentâ mente precantis  
Suscipe, & ô votis annue *Sancta Trias!*

Actum ARGENTINÆ.

*Authoris de se. Feci WEIDÆ, palat.*

**C**ulturam ruris sitit hic, præpinguis inescat  
Hunc belli redditus; tenuis spes nixa lucello,  
Tradit ad AETHIOPES reliquos INDOSq; ARABESq;  
At, quibus incalui sunt sacra Poëtica Vates,  
ARCADE sim rudior quamvis, tamen excolo jure;  
LAURIFER ignavum ne me pecus aiat OBRECHTUS.

*ADMONITIO ad puerum tardioris ingenij.*


*Feci LUTITZI Boh.*

**C**Ochlea quantumvis lento prorepere gressu  
Nata sit, at spacium conficit illa suum.  
Ingenio pariter tardus, modò sedulus orsum  
Tractet opus, fructus sentiet ille bonos.

*Loco ÆNIGMATIS: Quot pedum hoc distichon?*

*Feci KUTTENBERGI Bohem:*

**M**ille boves pasco, vitulum sex millia mille,  
In vitulo musæ quolibet octo sedent.



ULB Halle  
002 677 830

3



S6

Nv 1999

(1/69.)

VDA



